

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Initia doctrinae physicae**

**Melanchthon, Philipp**

**Francoforti, 1550**

**VD16 M 3471**

Quartum argumentum

**urn:nbn:de:bsz:31-106565**

LIBER III.

Et deprehendi hæc in mixtis manifestum est.

Quartum argumentum.

In animantibus sunt diuersæ partes, quæ ad singulorum Elementorum naturas congruunt. Necessè est igitur animantia ex Elementis mixta esse. Antecedens manifestum est. In homine sunt ossa & caro, quæ congruunt cum terra, Humiditates congruunt cum aqua, Spiritus cum aëre & igni.

Ad eundem modum congruunt cum Elementis, non solum nutrimenta, sed etiam Remedia. In calefaciendis corporibus utimur rebus, quarum ignea est natura, In frige faciendo & humectando, sumimus res aqueas, ut in Febri datur aqua hordei, dantur pruna. Cum humectamus & calefacimus, adhibemus res aëreas, ut uinum, oleum. Cum refrigeramus ac desiccamus, utimur rebus, quæ terræ naturam referunt, ut Aceto, Acacia, Bolo Armeno.

Imò & quatuor humores in corpore ita distributi sunt, ut congruant ad quatuor Elementa. In massa sanguinea bulliens spuma, quæ est feruentissima, rubra bilis, est naturæ igneæ. Atra bilis, quæ est imo & densior, similis fecibus, propior est naturæ terrestri. Dulcior sanguis in medio similis dulci uino, aëreæ naturæ est. Phlegma, ut uocant, aquosum est.

Cum autem ex iisdem rebus oriatur natura animantium, quibus alitur, & his humoribus corpora alantur, consentaneum est tot esse Elementa, priora & simplicia corpora.

Sunt

Rubra bilis.  
Atra bilis.  
Sanguis.  
Phlegma.

## Sunt ne pura Elementa?

Propter utilitatem animantium. & res nascentes, Elementa non sunt prorsus pura, ut uidemus aquis admixtam esse terram. Nam pura Aqua insipida esset. Nec terra humorem suppeditaret rebus nascentibus, si pura esset.

## Quomodo discernuntur Elementa?

Principaliter qualitatibus primis, deinde minus principaliter qualitatibus secundis.

## Quot sunt primæ qualitates?

Quatuor: Calor, Frigus, humiditas, Siccitas.

Dicuntur autem primæ, quia per has proprie inter se nutuō agunt Elementa, & deinde in mixtis causis sunt aliarum sensibilibus qualitatum, ut saporum, odorum, duricicis, mollicicis & aliarum. Erat autem & lux inter primas qualitates ponenda. Nam ignem, aërem, aquam, corpora lucida esse manifestum est. Sed Lux non tantum Elementis, sed etiam cælo competit. Cæteræ quatuor primæ qualitates sunt in Elementis, & per eas agent Elementa uerius, quam luce. Et quanquam sic loquuntur homines, alias stellas calidas esse, ut Solem, Martem, alias frigiditas, ut Saturnum, tamen iuxta usitatam Aristotelis doctrinam dicitur, id intelligendum esse de efficacia, non quod qualitates illæ stellis insint, ut forme in Elementis. Saturnus efficacia seu diuina frigidus est, non quod frigus insit ei, ut forma in glacie. Hac admonitione puerili contenti simus, ut quomodo Aristoteli-

.i. potentia.